QUAESTIONES SALAMINIAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS BERNENSIS

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HORNER.

BASILEAE
IMPRESSIT BASLER DRUCK- UND VERLAGS-ANSTALT
MCMI.

QUAESTIONES SALAMINIAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS BERNENSIS

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HORNER.

BASILEAE
IMPRESSIT BASLER DRUCK- UND VERLAGS-ANSTALT
MCMI.

PARENTIBUS

S.

QUAESTIONES SALAMINIAE.

Von der philosophischen Fakultät auf Antrag des Herrn Prof. Dr. Praechter angenommen.

BERN, den 26. Januar 1901.

Der Dekan der philosophischen Fakultät:

Prof. Dr. J. H. Graf.

ARGUMENTUM.

Libellum de rebus Salaminiis a Paulo Meinhold (Diss. Regimont.) anno 1879 conscriptum additis quibusdam novis quaestionibus augere et emendare suscepi concilio Johannis Toepffer, magistri carissimi, quem praematura morte nobis ereptum esse valde doleo.

Abbreviationibus usus sum his usitatissimis:

C. J. A. = Corpus Inscriptionum Atticarum,
B. C. H. = Bulletin de correspondance hellénique,
M. J. A. = Mitteilungen des kaiserlich deutschen archaeol. Instituts zu Athen,

et his:

Busolt II = Busolt, griechische Geschichte bis zur Schlacht bei Chaeronea, Bd. II^2 (1895).

Niese I, II = Niese, Geschichte der griechischen und macedonischen Staaten, Bd. I und II (1893, 1899).

CAPUT I.

Salaminis insulae descriptio.

De rebus Salaminiis scripturo mihi haud alienum esse videbatur de insula ipsa nonnulla praefari. Cum autem Arthur Milchhöfer vir doctissimus ante hos quinque annos de insulae situ ac natura optime disseruerit (Karten von Attica, herausgegeben von E. Curtius und J. A. Kaupert, erläuternder Text zu Heft VII—VIII von Arthur Milchhöfer. Berlin 1895), has res missas faciam atque tantummodo quae in universum de incolis et urbe Salamine tradita sunt, hoc loco proponam. Cum de incolarum numero quidem nihil notum sit, Beloch vir doctissimus e numero quingentorum voluntariorum,[1]) quem numerum cohaerere cum numero fundorum postea civibus Atticis assignatorum verisimile est,[2]) in insula quingentas cleruchorum familias fuisse putat, deinde ex illo computo[3]) sexcentesimarum frumenti a cleruchis Eleusina collatarum evicit cleruchorum agros anno 329/8 a. C. n. 24 525 medimnos hordei procreasse. Iam Beloch per annum familiae quinquaginta medimnis ad vivendum opus fuisse sumit, ergo, si messis 25 000 medimnorum media erat, frumento quod in insula ipsa crescebat quingentae familiae alebantur, et sane nemo negabit has duas rationes optime concinere; tamen haec omnia, quamquam probabilia videntur, incerta sunt. Quamobrem missam facio hanc quaestionem de incolarum numero, itemque intricatam illam de antiquis Salaminis insulae incolis, cum de iis nihil nisi suspicari liceat et quid de nummis, qui ab indigenis Salaminiis cusi dicuntur,[4]) dicam mihi nondum constet.

---

1) Plut. Sol. 9.

2) Busolt, II 219 Anm.

3) C. J. A. IV 2, 834 b. Busolt, II 445 Anm. 3

4) M. J. A. IV 250 (Köhler). Busolt, II 223 Anm.

Nuper C. Scherling vir doctus [1]) summa cum diligentia quaestionem instituit „quibus rebus singulorum Atticae pagorum incolae operam dederint" et haec de Salaminiis affert: magna pars incolarum agros colebat et faciebat pecuariam; in litore exstabant pisces, scombri et rhombi; insulam aptam fuisse ad naves fabricandas docet antiquum nomen *Πιτυοῦσσα* et fama Salaminios primos quinqueremem fecisse. [2])

Iam transeamus ad ea quae de urbe Salamine e Pausania et ex inscriptionibus comperimus, quae omnia pertinent ad urbem novam ab Atheniensibus post insulae expugnationem conditam, cum de vetere urbe in meridionali [3]) insulae parte sita nihil constet. Etiam quinto saeculo Hippodamum illum viis ducendis operam dedisse Fredericus Koepp [4]) putat.

Atque primum quidem Pausanias [5]) commemorat cum rudera fori quod in planitie prope portum fuisse verisimile est, et Aiacis templum, tum templum Dianae et tropaeum victoriae Salaminiae, [6]) illud in paeninsula „Punta," hoc in „Kynosura" fuisse sumit Milchhöfer, [7]) tum Kychrei templum, cuius de situ nihil evinci potest.

Ex inscriptionibus deinde discimus fuisse in urbe et Aiacis templum [8]) (Aianteion) et gymnasium, [9]) quod procul foro fuisse videtur, et porticum [10]) (*στοά*), et theatrum in quo Dionysiis tragoediae agebantur [11]) et exedram; [12]) de Bendidis

---

[1]) Leipziger Studien XVIII (1897).

[2]) Plin. H. N. VII 57.

[3]) J. Toepffer, quaestiones Pisistrateae; Diss. Dorpat 1886, pg. 10; attische Genealogie pg. 273. Arthur Milchhöfer, Text, pg. 28, 36.

[4]) Arch. Anz. 1890 pg. 140. Milchhöfer, Text, pg. 27.

[5]) Paus. I 35, 3.

[6]) Paus. I 36, 1.

[7]) Text, pg. 27.

[8]) C. J. A. II 469, 87.

[9]) C. J. A. II 594, 35.

[10]) C. J. A. II 594, 17; quo iure Milchhöfer l. l. pg. 27 hanc porticum dicat meridionalem, non intelligo.

[11]) C. J. A. II 469, 82; 470, 58; 594, 31.

[12]) C. J. A. II 595, 11. 18.

templo dubitandum est, cum hanc inscriptionem potius Piraeo addicendam esse censeat Foucart.[1]) Arae nominantur: duodecim deorum,[2]) Jovis Tropaei,[3]) Aesculapii,[4]) Mercurii.[5]) Nec statuae defuerunt; initio saeculi quarti Solonis[6]) statuam posuerunt in foro et primo saeculo exstabat statua Democratiae,[7]) vel ipsi Salamini nonnulli equites c. annum 318 statuam dedicaverunt.[8])

Oppidum ipsum moenibus cinctum fuisse et verisimile est et concludo e verbis tituli saeculi tertii:[9]) *τῶν τειχῶν τῶν ἐν τῇ νήσῳ πεπτωκότων συνεπεμελήθη ὅπως ἂν οἰκοδομηθῇ*, sed concedo etiam de locis quibusdam munitis in insula, sicut *Βούδορον*[10]) erat, cogitari posse.

Recte P. Monceaux[11]) prytanum aliorumque magistratuum catalogum in insula repertum ad res Salaminias pertinere negavit, sed falsis de causis (l'île dépendait d'Athènes et ses citoyens étaient répartis entre les dèmes athéniens), nam Salaminios senatum suum prytanesque habuisse constat. Id autem dicendum est, Salaminios numquam tot magistratus habuisse[12]) — enumerantur *κῆρυξ βουλῆς καὶ δήμου, γραμματεὺς βουλῆς δήμου, ἀντιγραφεύς, ἱεραύλης, ὑπογραμματεύς, ταμίας, οἰκέται τῆς θόλου* — et *ἱεραύλην Ἀφροδεισίου* etiam in titulo

---

1) C. J. A. II 620. Foucart, des associations religieuses chez les Grecs, pg. 209. Pauly-Wissowa s. v. Bendis.

2) C. J. A. I 420.

3) C. J. A. II 467, 468, 469.

4) C. J. A. II 470, 55.

5) C. J. A. II 594, 7.

6) Dem. de falsa leg. § 251.

7) Democratiam fuisse usitatum navium nomen constat, item in Euphranoris pictura „Theseus" in stoa basilica figuras Democratiae et Demi fuisse Pausanias (I 3, 2) auctor est. Athenis quarto saeculo Democratiae sacra facta esse docet titulus C. J. A. II 741, c, 10; d, 3; nusquam autem, sicut video, nisi in oppido Salamine statua Democratiae nota est.

8) C. J. A. II 962.

9) C. J. A. IV 2, 591 b.

10) Thuc. II 94.

11) B. C. H. VI (1882) pg. 531 ss.

12) vide infra de magistratibus.

Attico [1]) eiusdem temporis inveniri, quem eundem esse verisimile est. Itaque hic titulus non est Salaminius nec ex eo de prytaneo et tholo oppidi Salaminis quidquam effici potest.

Thiasum quoque, quem in insula fuisse titulus [2]) quarti saeculi docet, suum templum vel aedificium habuisse certum est.

CAPUT II.

Salaminis insulae historia.

A. Quando et quomodo insula expugnata sit ab Atheniensibus.

Cum difficillimam quaestionem, quomodo insula Salamis ab Atheniensibus expugnata sit, a permultis viris doctissimis [3]) pertractatam nec ad finem perductam nuper tres viri doctissimi accuratissime et sagacissime susceperint, licet iam omnibus illis prioribus neglectis satis habere inquirere in summas ab his prolatas, cum de fontibus aestimandis post eos plura dicere non audeam. Quam ob rem breviter horum sententias exponam.

---

[1]) C. J. A. III 1040, 39.

[2]) C. J. A. II 987. Equidem e nominum ratione non sumo, thiasotas tantummodo ex antiquis insulae incolis fuisse, cum constet in thiasos promiscue feminas et viros, vel peregrinos, libertinos et servos esse receptos; potius aequitatis causa civium patronymica et demotica omissa esse duco.

(cfr. P. Foucart, des assoc. rel. chez les Grecs.)

[3]) Grundner, quo tempore et quo duce bell. Sal. gestum sit. Diss. Jen. 1875. Begemann, quaestiones Soloneae II, Progr. Allenstein 1876. Prinz, de Solonis Plutarchei fontibus, Diss. Bonn. 1877. Bohren, Philologus XXX 186 ss. Hug, Rhein. Museum 32 (1877) 629 ss. Jonas, de Solone Atheniensi, Diss. Münster 1884. Stettiner, ad Solonis aetatem quaestiones criticae, Diss. Königsberg 1885. Wilamowitz, Hermes IX 319, XII 342, Philolog. Untersuchungen I 124, VII 275. Toepffer, quaestiones Pisistrateae, pg. 1—59. Duncker, gr. Gesch. II 56 ss. 158, 285, 294. Curtius, gr. Gesch.[5] I 309. Holm, gr. Gesch. I 481. Beloch, gr. G. I 327. Niese, Histor. Untersuch. für A. Schäfer, 1882; Histor. Zeitschr. 1892 (69).

Atque primum quidem Georgius Busolt (II, 217 ss.) rem ita exponit:

Cum medio saeculo septimo nobiles Attici negotiationi maritimae operam dare inciperent, certamen cum Megarensibus de Salamine Piraeo imminenti secutum est, sed neutri ex eo victores discessisse videntur. Cum autem Athenis principatus nobilium Cylonis ausu esset perculsus, res cum Megarensibus iniquiore condicione gerebantur, Theagenes autem ulturus Megarenses ab Atheniensibus occisos eo studiosius in bellum institit. Itaque Athenienses multis cladibus acceptis destiterunt cum Megarensibus certare de Salamine. Tum Solon cives ad bellum redintegrandum inflammavit, eoque duce insulam captam esse dubitari nequit, sed quomodo id factum sit nescimus, nam omnia quae de hac re traduntur contra historiae fidem sunt. Atheniensium facta est insula circa annum 610, ante leges a Solone datas; Megarensibus autem nondum desperantibus bellum continuatum est, donec arbitrio Lacedaemoniorum rem mandari utrisque placuit, quo insula Atheniensibus adiudicata est (ante annum 594). Postea denuo certatum est et hoc bello Pisistratus Nisaeam cepit; qui portus quamdiu in possessione Atheniensium fuerit non liquet.

Udalricus de Wilamowitz deinde haec habet (Arist. und Athen I pg. 267 ss.):

Eleusine ab Atheniensibus occupata per totum saeculum septimum usque ad Pisistrati tempora vario Marte inter Athenienses et Megarenses pugnatum est, cui bello arbitrium illud Lacedaemoniorum demum ad tempus finem imposuit (a. 572/60), quo arbitrio Atheniensibus Salamis adiudicata, Megarensibus Nisaea addicta est.

Ad historiae fidem est, quod Pisistratus auctoritatem, qua postea usus est, sibi bello contra Megarenses comparaverit; Solonis elegia omni temporis indicio caret. Haec duo argumenta, quae sunt fundamentum totius quaestionis, possunt coniungi, si aut Pisistratum tantummodo adiutorem fuisse Solonis sumimus, aut omnia Solone adolescente facta esse et Athenienses insulam postea amisisse conicimus. Et Aristoteles

quidem hac altera coniectura ductus Pisistrati partem negat, quam iam tum ab aliis esse propositam sequitur.

Iam tenendum est Solonem elegiam scripsisse quo tempore bellum gestum est inter Megarenses et Athenienses, id est grandem natu, nam temporibus Solonis adulescentis urbs Athenarum e periculosissimis discordiis civium laborans Megarensibus tum ita praepollentibus, ut eorum opibus fisus Cylon tyrannidem occupare studeret, bellum inferre non potuit. Post Solonem demum, crescentibus Atticae opibus, bellum susceperunt et hoc certamine corroborati sunt. Pisistratus re vera praetor fuit in bello contra Megarenses facto de Salamine, nec cur Solon Pisistratum quadraginta annis minorem amare non potuerit, perspicitur.

Tertiam affero sententiam Eduardi Meyer, quam protulit ille vir doctissimus Gesch. d. Altertums II pg. 632 ss.:

Nobiles et Megaris et Athenis mercatores fuisse constat. Cum autem priore parte saeculi septimi prae Megarensibus et Aeginetis perpauci Athenienses mercaturas facerent, hos frustra conatos esse Salamina capere nemo mirabitur. Lente et paulatim Athenis commutatio rerum fiebat, cum inter ipsos nobiles factiones existerent. Primus rem publicam perculit Cylon, sed plebe rustica nobilibus dedita tum adiuvante Cylonei profligati sunt. Paulo post vero domesticae discordiae crescunt, commercium agricolis nocet, qui aere alieno obstringuntur, et bellum Megaricum angustias auxit. Eodem tempore, cum nobiles commercium proferre et cum aliis urbibus certamen inire studerent, insulam ante Piraei aditum sitam in Atheniensium potestatem redigi necesse erat, et Soloni id contigit (quomodo insula capta sit ignoramus). Salamina exinde in Atheniensium possessione agrosque civibus Atticis distributos esse verisimile est, bellum vero a Megarensibus continuatum Pisistratus finivit, qui cum Athenienses Megaridem omnem appeterent Nisaeam cepit, sed nihil porro profecit; itaque arbitrium Lacedaemoniorum bello finem imposuit Atheniensibus Salamina et Megarensibus Nisaeam (id conici licet) addicens. Ut Soloni insula capta ita Pisistrato Nisaea expug-

nata occasio fuit et impetum praebuit ad imperium sibi comparandum.

Iam ex mea sententia res gestas narraturus praemoneo in universum de fontibus aestimandis rectissime Georgium Busolt mihi iudicasse videri.

Cum medio fere saeculo septimo nobiles Attici mercaturas facere inciperent, perspexerunt imprimis Piraeo providendum esse, i. e. insulam Salamina quae toti ad occidentem vergenti orae Atticae imminebat, in Megarensium manibus diutius manere non posse. Itaque bellum contra Megarenses erat suscipiendum, nec causa fuit cur Athenienses nobiles de victoria desperarent (contra Udalricus de Wilamowitz pg. 268), cum etsi res domesticae re vera non optime se haberent, tamen plebs nondum a nobilibus separata esset (id eo probatur quod plebs una cum nobilitate Cylonem impugnavit), et Megaris quoque res ita essent, ut tyrannus imperium teneret. Tum quod Theagenes Cylonem adiuverat, Athenienses eo maiore studio in bellum institisse facile intellegitur. Cum autem semper iniquo Marte pugnarent, bello destitisse videntur desperantes se umquam Salamina possessuros esse (*Σαλαμιναφέται*). Iam Solon, vir nobilis Atheniensis, elegia[1]) Athenienses iterum ad bellum incitavit et iam Atheniensium constantia prospere evenit (contra Udalricus de Wilamowitz: Solonis elegia re vera sine temporis indicio, nec ego ex his paucis versibus efficere audeo utrum ad Solonis iuventutem an senectutem pertineant, — Flach et Busolt sibi persuadent „aus den Resten atme jugendliche Frische" — sed post Solonis aetatem demum de Salamine res gestas esse nego).

Megarensium narrationem, Dorycleos Atheniensibus insulam prodidisse haud neglegendam esse rectissime monuit Toepffer, et ego per rerum naturam optime admitti posse existimo Megarensium factionem nobilem in bello de insula gesto aliquid egisse. Quodsi id sumimus,[2]) Salamina aut

---

[1]) De inscriptione elegiae egit Heinemann, studia Solonea, Diss. Berlin 1897, pg. 35—45.

[2]) Busolt, II 222 Anm. 392. Ed. Meyer, Gesch. d. Altertums II 631, 632.

Theagene tyranno aut postea plebe contra nobiles rebellante Atheniensium factam esse sequitur. Nihilominus nondum pax erat quieta, sed bellum annis fortasse intermissis continuabatur et Pisistrato occasionem dedit Nisaeae occupatione magnae gloriae sibi comparandae, Athenienses non iam satis habebant securitati portus providere, sed Megarida omnem ad suum imperium adiungere studebant.[1]) Sed praeter spem evenerunt res, nam Nisaeam amiserunt Athenienses.

Iam videamus quando et quomodo id factum sit. Cohaeret haec quaestio cum Lacedaemoniorum arbitrio, de quo Busolt et Meyer item dissentiunt; Busolt quidem nihil habet quod dicat quomodo Athenienses Nisaeam amiserint, Meyer autem quamquam omnes fontes de ea re plane sileant,[2]) illo arbitrio Nisaeam addictam esse Megarensibus contendit. Suo iure Toepffer[3]) mihi in dubium vocasse videtur, num Athenienses, si et de Salamine et de Nisaea integrum ius victoris sibi vindicare potuissent, bello contra Megarenses finem imponere arbitrio Lacedaemoniorum permissuri et terram expugnatam ultro reddituri fuissent. Qua ratiocinatione vero non cogor, ut cum Georgio Busolt[4]) arbitrium in ultimum decennium saeculi septimi reiciam, sed Megarenses in iudicio magram vim ei rei tribuisse puto, quod insulam proditione nobilium Dorycleorum imprimis amisissent. Hoc loco addere liceat Megarensium narrationem de Dorycleis[5]) firmari videri fama[6]) quadam quae affert, Solonem iudicibus demonstravisse Philaeum et Eurysacem Aiacis filios civitate Attica receptos insulam Atheniensibus tradidisse; itemque ex hac fama evincimus in arbitrio de insulae traditione actum

---

[1]) Ed. Meyer, l. l. pg. 665.

[2]) Plut. Sol. 10; Aelian, V. H. VII 19.

[3]) Quaestt. Pis. 58.

[4]) II 221 Anm.

[5]) Num gens Salaminiorum, quae titulo quarti saeculi nota est (Töpffer, att. Genealogie pg. 287) quid commune habeat cum Dorycleis, diiudicari non licet.

[6]) Plut. Solon 10.

esse, quamquam potius Megarenses quam Athenienses in hanc rem institisse probabile sit. Et haec Atheniensibus haud tam gloriosa res mihi evolvere videtur, cur et Attici fontes de Nisaea reddita omnino sileant, nam si eius rei mentionem fecissent, et causas addere opus erat, has autem memoriae non prodi maluerunt.

Altera quoque Georgii Busolt[1]) dubitatio: „in iudicio Atheniensium causam agere Solonem nec Pisistratum," me non permovet, ut arbitrium in annum c. 610 reiciam, nam et circa a. 570 Solonem optime de patria meritum virumque summae auctoritatis, quamvis septuaginta annos natum, haud minus aptum fuisse qui Atheniensium causam diceret, quam Pisistratum juvenem triginta fere annorum et paulo ante primam gloriam consecutum.

Ita circa annum 570/60 Athenienses iure satis habuerunt exinde legitime Salamina possidere.[2])

B. Insulae res inde a quinto a. C. saeculo.

Salamis, septimo saeculo occupata ab Atheniensibus qui eo primos cleruchos miserunt, usque ad finem saeculi quarti eandem sortem tulit atque urbs Athenarum. Perpauca nobis ex his temporibus tradita esse et praesertim inscriptiones documenta publica continentes deesse valde dolendum est. Altero bello Persarum bis multos Athenienses Salamina profugisse notum est, ibique interim comitia senatus populique habita esse ex Herodoto discimus (IX 5: [*Μαρδόνιος*] *ἀπέπεμψε Μουρυχίδην ἐς Σαλαμῖνα. ὁ δὲ ἀπικόμενος ἐπὶ τὴν βουλὴν ἔλεγε τὰ παρὰ Μαρδονίου. τῶν δὲ βουλευτέων Λυκίδης εἶπε γνώμην ὥς οἱ ἐδόκεε ἄμεινον εἶναι δεξαμένους τὸν λόγον . . . ἐξενεῖκαι ἐς τὸν δῆμον*), nam haec certe non in cleruchorum comitiis acta sunt.

---

[1]) II 221 Anm.

[2]) Fr. Rühl nuper (Rhein. Museum N. F. 54 (1899) pg. 154) ita iudicavit: „. . . . . wie sie (die Gelehrten) nicht aufhören der Welt zu verkünden, es sei jetzt urkundlich bewiesen, dass erst Pisistratus mit der Schärfe des Schwertes Salamis an Athen gebracht habe."

Postea bello Peloponnesiaco insula bis a Lacedaemoniis vexata est; primum anno 429, cum Cnemus et Brasidas tribus Atheniensium navibus, quae ad Budorum in custodia collocatae erant, captis insulam diriperent et praedam hominesque agerent, post quam inexpectatam invasionem Athenienses melius saluti insulae providebant satis praesidii ibi collocantes;[1]) iterum insula vastata est anno 405/4, cum Lysander Piraeum obsideret.[2]) Nec intestinarum turbarum triginta virorum tempore insula expers fuit, nam de trecentis civibus Salaminiis et Eleusinis supplicium sumptum est,[3]) quibus ab exulibus stare crimini datum erat; in eorum numero fuit Leo de quo Theramenes haec:[4]) *ἀποθνήσκοντος Λέοντος τοῦ Σαλαμινίου ἀνδρὸς καὶ ὄντος καὶ δοκοῦντος ἱκανοῦ εἶναι, ἀδικοῦντος δ' οὐδὲ ἕν.*

Titulo choragi[5]) usus, qui e scriptura priori parti saeculi quarti adscribendus est, Paulus Monceaux[6]) ex eo quod omisso Atheniensi archonte Salaminius unus nominatur, conclusit insulam paulo post initium saeculi quarti libertatem adeptam, vel ut accuratius verba eius reddam, sane per nonnullos annos arbitrio semi-libero usam esse. Hanc opinionem recte mihi repudiasse videtur Brinck monens, quamquam in decretis populi Salaminiorum archon Atticus nominari soleat, non sequi choragum tripoda dedicantem in titulo nomen eius addere debuisse, cum hic titulus non sit documentum publicum.[7])

Tum sub finem saeculi quarti insula ab Atheniensium republica seiuncta est, anno 318/7, cum ante duos annos (319?) Nicanor, qui iussu Cassandri praesidio in Munychia collocato praeerat, ex insula Salamine in qua mercenarios contraxerat,

---

[1]) Thucyd. II 93. 94. Diod. XII 49.

[2]) Xen. Hist. Gr. II 2, 9.

[3]) Diod. XIV 32; Lys. XII 52, XIII 44.

[4]) Xen. H. G. II 3, 39; dubito num de eo recte coniecerit Meinhold, de rebus Sal. pg. 25.

[5]) C. J. A. II 1248.

[6]) B. C. H. VI pg. 521.

[7]) Ad. Brinck, inscriptiones Graecae ad choregiam pertinentes (Diss. phil. Hal. VII 1886) pg. 84.

impetum in Piraeum portum fecisset,[1]) et anno 318 Salaminii atrocem obsidionem Cassandri, qui Piraeum et Aeginam obtinebat, nonnullos dies summa fortitudine defendissent, sed classe a Polyperchonte subsidio missa tantummodo ab expugnatione servati essent.[2]) Illis temporibus turmam equitatus Attici Theogene hipparcho in insula fuisse praesidio docet titulus in honorem Salaminis deae.[3]) Cum autem paulo post Clitus, qui Polyperchontis classi praeerat, ad Hellespontum ab Antigono et Nicanore victus esset, iam Cassandrum insulam sub suam potestatem redacturum esse certum erat; quare facile intellegitur cleruchos Atticos — nam de his agitur meo iudicio, ut verba ipsa, quae extant apud Polyaenum *οἱ τὴν Σαλαμῖνα οἰκοῦντες*, probare videntur, nec de indigenis Salaminiis, ut et Niese sibi persuasit, nam quomodo hi, quos cum cleruchis pro insula pugnavisse verisimile est, inscientibus vel invitis cleruchis insulam Cassandro tradere potuerint non video — perspicientes inutile esse diutius resistere, cum Nicanore Piraeum tenente ab urbe Athenis essent seclusi, et Cassandri benevolentia captos, quod e numero Atheniensium in pugna navali captorum omnes Salaminios sine pretio redemptionis dimiserat, de Cassandro bene sperantes insulam Macedonibus tradidisse.[4]) Atque deinde cleruchorum condicionem haud multo aliam atque antea fuisse verisimile est, comitiis suas res domesticas administrabant et magistratuum Athenis missorum loco sub imperio praetoris Macedonici erant.[5]) Sed Cassandri imperium non diuturnum fuit, nam cum anno 307 Demetrius Poliorcetes parvo labore Athenas Piraeumque cepisset et Munychiam praesidio Macedonum occupatam vi expugnasset, Salamine quoque Macedones, si qui in insula

---

[1]) Plut. Phoc. 32. Niese I 241.

[2]) Diod. XVIII 69; Niese I 244.

[3]) C. J. A. II 962 = M. J. A. VII (Lolling).

[4]) Polyaen. IV 11, 1. Paus. I 25, 5; I 35, 2. Köhler, M. J. A. IV 250 ss. Niese I 247.

[5]) Post Nicanora Dionysius usque ad a. 307 praetura Piraei functus est. Diod. XX 45, 2.

erant, eum eiecisse consentaneum est, insulamque ipsam Atheniensibus reddidisse. Atque tum quidem praetorem[1]) capite damnatum cleruchosque Salamine expulsos esse conicio, si omnino vera sunt quae Pausanias refert, nam Demetrium qui per praeconem renuntiavisset se ad Athenas liberandas venisse, Salamina Atheniensibus non reddidisse vel suis praesidiis firmavisse parum probabile est; hoc verum certum est, cum post pugnam ad Ipsum commissam urbs Athenarum Demetrio portas clauderet, Salaminios idem fecisse, quia postea Demetrius Salamina quoque vi cepit.[2]) Ergo si umquam Salaminii ab Atheniensibus puniti sunt, quod urbem *γνώμῃ τὸ πλέον* Cassandro tradidissent, id tantummodo inter annos 307 et 296/5 factum esse potest.

Num proximis annis post 307 Cassander, qui Demetrio absente Phylen et Panacton sibi firmaverat, praesidiis iam anno 304 a Demetrio expulsis,[3]) Salamina recuperare conatus sit, nescimus; anno 296/5 autem Demetrius oppugnaturus Athenas, quae tum sub imperio Lacharis erant, Salamina cepit,[4]) quam proximis annis ante 296/5 non a Demetrio stetisse ex ipso facto apparet; atque exinde insulam sub Macedonum potestate fuisse suspicor, et cum anno 287 Athenienses Museion expugnantes Macedonum imperio se liberarent, Salamina tamen Demetrium retinuisse et post mortem eius filium Antigonum Gonatam accepisse puto, nam in bello Chremonideo, cum circa annum 265 Patroclus[5]) a Ptolemaeo Philadelpho missus cum classe Athenis appropinquaret, non ultra Sunium progredi potuit, cum Macedones aditum ad Piraeum clauderent, sine dubio praesidiis in insula Salamine collocatis freti. Quare cum anno 261/0 Athenae sub imperium Antigoni Gonatae venissent, haec res Salamini

---

[1]) Paus. I 35, 2.
[2]) Polyaen. IV 7, 5.
[3]) Plut. Dem. 23; Niese I 333.
[4]) Polyaen. IV 7, 5.
[5]) Niese II 234.

mutationem rerum non attulit,[1]) nam et circa annum 245, cum Alexander filius Crateri Antigoni fratris a patruo descisceret, et bello inter eos orto Salamis a piratis vexaretur, Heraclitus, qui ab Antigono Gonata praetor Piraei erat constitutus, studiosissime providit, ne quid damni insula acciperet;[2]) et paulo post (anno 243) Aratus vastavit insulam,[3]) frustra autem, nam usque ad Demetrii II mortem Macedonum praesidia tenebant Piraeum, Munychiam, Salamina et Sunium. Demetrio vero mortuo (anno 229) Aratus praemio centum et quinquaginta talentum praetori Macedonum Diogeni persuasit, ut Piraeum, Munychiam Salamina et Sunium Atheniensibus traderet.[4]) Addo h. l. me contra Udalricum Köhler, qui falso Arato tantum meritum tribui censet, assentiri Niesio[5]) qui haec monet: Arati meritum non esse minuendum, decreta in honorem Euryclidis et Micionis iniqua documenta esse,[6]) nam verba quae exstent in illo decreto, vs. 10: *Εὐρυκλείδης] τὴν ἐλευθερίαν ἀποκατέστησεν τῇ πόλει μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ Μικίωνος μετὰ τοὺς ἀποδόντας τὸν Πειραιᾶ* non omnino beneficium Arati negare. Et cum bene sciamus Athenas Macedonum praesidiis liberatas tamen Achaeorum partes non secutas esse, et postea Euryclidem et Miciona vel contra Aratum egisse (circa a. 224/3),[7]) intellegitur, si decretum populi Atheniensium in honorem Euryclidis factum (decreti annus non constat) de Arato silet.

Exinde Salamis, quae ab anno 296/5 usque ad annum 229 Macedonum imperio adiuncta fuerat, sicut vidimus, Athe-

---

[1]) Niese II 239, Salamina vero non praesidium accepisse illo anno, sed praesidium tantummodo mansisse in insula puto.

[2]) C. J. A. IV 2, 591 b = B. C. H. VI 531 ss.

[3]) Plut. Arat. 24; Niese II 253.

[4]) Plut. Arat. 34; Paus. II 8, 5; Niese II 288 Anm. 4. Illorum 150 talentum Aratus contribuit sextam partem (= 25 talenta) vel 20 talenta. (Paus. l. l. Plut. l. l.).

[5]) Pauly-Wissowa s. v. Aratus; Köhler, Hermes VII 2, ss; Niese II 289 Anm. 2.

[6]) C. J. A. II 379.

[7]) Plut. Arat. 41.

niensium fuit per duo fere saecula. Quod evincitur nonnullis epheborum titulis, cum fontes scripti plane nihil habeant, quorum novissimus est anni 51 a. C. n.[1]) Post hunc et ante a. 17/6 a. C. Athenienses insulam nescio quomodo amiserunt; cogitari licet eos Salamina aerarii angustiis coactos vendidisse,[2]) sed paulo post Augusto imperatore (*ἐπὶ Λάκωνος ἄρχοντος*)[3]) Nicanor Atheniensibus insulam Salamina redemit.[4])

Ex imperatorum temporibus extat titulus ephebicus, qui cum anno 85/6 p. C. ephebi pugnam navalem ad Salamina instituissent, insulam tum Atheniensium fuisse probat,[5]) et centum fere annis post Pausanias[6]) in numero insularum Atheniensium Salamina enumerat, urbem Salamina autem illo tempore non floruisse ex eiusdem verbis apparet.[7])

CAPUT III.

De rebus publicis Salaminiorum.

A. Ante Clisthenis tempora.

Quae scimus de rebus Salaminiis ante Clisthenis tempora cohaerent cum illo Salaminio populi scito saeculi sexti, cui iam multi viri doctissimi[8]) operam dedere, nec quaestionem

---

[1]) C. J. A. II 465—471, 480, 594, 595.

[2]) Philostrat. v. soph. pg. 527, I 23.

[3]) a. 17/6 a. C. n. Pauly-Wissowa, s. v. Archonten.

[4]) Dio Chrysost. or. 31 pg. 627. cfr. C. J. A. III 1.

[5]) C. J. A. III 1091; *ἐπ[ὶ] Αὐτοκράτορος Καίσ[α]ρος, Θεοῦ Οὐεσπα[σ]ιανοῦ υἱοῦ, Δομετιανο[ῦ Σ]εβαστοῦ Γερμανι[κο]ῦ Διὸς Ἐλευθερίου[ἄρχο]ντος* = a. 85/6 p. C. Pauly-Wissowa s. v. Archonten (de Schöffer).

[6]) Paus. I 35, 2.

[7]) I 35, 2: *ἔστι δὲ ἀγορᾶς τε ἔτι ἐρείπια.*

[8]) Busolt, II 444 Anm. 2. Ed. Meyer, II 664, 666. Köhler, M. J. A IX 117. Foucart, B. C. H. XII 1. Gomperz, M. J. A. XIII 137; arch.-epigr. Mitt. aus Oest.-Ung. XII 61. C. J. A. IV 1, b, pg. 57; IV 1, c, pg. 164. Lipsius, Leipz. Studien 1890 (XII) 221. Keil, Hermes 29 (1894) 67 Anm. 1. Swoboda, Serta Harteliana 29, Anm.

ad certum finem perduxerunt, id quod omnino fieri non potest, antequam nova longiora fragmenta unum enuntiatum compleant et longitudinem versuum probent. Plurimi virorum doctorum e verbis vs. 2: *οικεν εν Σαλαμινι* titulum ad cleruchos Salamina missos referendum esse censuerunt — et Toepffer discessit a sententia in „quaestionibus Pisistrateis“ pg. 25/6 prolata. — nuperrime autem alteram luculenter defenderunt Adolfus Wilhelm, Walter Iudeich, viri doctissimi, titulum ad indigenas Salaminios referentes.[1])

Cum Adolfus Wilhelm, vir inscriptionum peritissimus adhibitis plurimis titulis eiusdem fere aetatis, quid e litterarum scriptura de tempore tituli evinci possit inquisiverit, ego priores sententias prolatas, quae discrepant inter annos 570 et Clisthenis tempora, missas facio[2]) et satis habeo monere Adolfum Wilhelm titulum ultimis saeculi sexti decenniis vel fortasse Clisthenis aetati tribuendum esse censere. Quare si aliis de causis evincere possumus, titulum anno inter 540 et 500 adscribendum esse, scriptura non oppugnat.

Transeamus iam ad ipsum titulum: atque primum proponam quae certe leguntur:

vs. 2: *οικεν εν Σαλαμινι* (*ἐᾶν* legendum esse optime monuit Wilhelm, ν assimilato et omissa geminatione), eodem iure et de indigenis et de cleruchis dici potest, meo quidem iudicio; cogitemus enim agi de primis cleruchis omnino Athenis deductis, i. e. sine dubio Atheniensibus rem novam visam esse civem licere habitantem in alia terra atque Attica ipsa tamen manere in civitate Attica; itaque me *ἐᾶν* appositum non offendit.

vs. 3: *τελεν και στρατ[ευεσθ]αι* optime ad indigenas referri concedo, praesertim cum eadem formula de isotelis usitata sit, nam si omnino populus Atheniensium agros publicos in insula indigenis elocavit, hos vectigalia pependisse et stipendia meruisse cum Atheniensibus consentaneum est, eodem vero iure *στρα-*

---

[1]) A. Wilhelm, M. J. A. XXIII (1898) pg. 466 ss. W. Judeich, M. J. A. XXIV (1899) pg. 321 ss.

[2]) Denuo Judeich titulum ad priorem partem saeculi sexti refert.

τεύεσθαι quadrat ad cleruchos itemque τελεῖν, imprimis Pisistrati temporibus[1]) (de hac re vide paulo infra) ubi εἰκοστὴ eorum quae e terra gignebantur exacta est.

vs. 4: εαμ μη οικ[ει: quid sibi velint haec verba de indigenis dicta, ignoro, nam si hi emigrare volebant, Atheniensium rei publicae sane parum intererat, et dubito an Salaminii, quibus sane licuit insula arbitrio Atheniensibus adiudicata in Megaride novas sedes quaerere, tali praecepto obsequentes fuerint; contra cleruchos Atticos poena proposita vetitos esse insulam relinquere consentaneum est.

Tum nonne mirum est vs. 5 exstare: ἀποτί[νεν et nonne in propatulo est ita coniungere: ἐὰν μὴ οἰκῇ.....ν δὲ μισθοῖ ἀποτίνειν, itemque verba versus sequentis μ]ισθõντα Ηεκάτερον et vs. 8: ἐς δεμόσιον?

Jam si hoc fundamentum recte se habet (mirer sane si haec fors fortuna insperata me fallat) enuntiatum complere difficile non est, nam inter ἀποτίνειν et μισθοῦντα ἑκάτερον tantummodo deesse potest τὸν μισθούμενον καὶ τὸν, et una quaestio restat scribamus: το[μ] μισθομενον και το[μ] an: μισθομενον και μισθοντα. Itaque cum non videam quid insuper in versu 5 fuisse potuerit et ita versus 35 vel 31 litterarum sumere debeam, doleo me aliter sentire atque Adolfum Wilhelm, qui de versuum longitudine haec:[2]) „Dass die Zeilen ganz erheblich länger waren, als die ersten Herausgeber angenommen hatten, kann bei richtigerer Auffassung der Eigenart des Denkmals und angesichts der erst später hinzugefügten Bruchstücke nicht zweifelhaft sein," sed antequam novis fragmentis certe probetur versus longiores fuisse mea sententia non desistam.[3])

Itaque supplementis aliorum virorum doctorum usus titulum sic restituo:

---

[1]) Aristot. Ἀθ. πολ. XVI, 6: χωρίον ἀτελές. Πεισίστρατος ἀτελῆ πάντων ἐποίησεν αὐτόν.

[2]) M. J. A. XXIII pg. 468.

[3]) Judeich nuperrime l. l. ex emendatione satis probabili versuum 2/3 36 vel 37 litteras sumit, at ego vs. 2. [καὶ πο]λεῖν non accipio.

ἔδοχσεν τοῖ δέμοι τ[ὸς ἐ Σ]αλα[μῖνι λαχόντας = 35
οἰκε͂ν ἐᾶ(ν) Σαλαμῖνι [αἰεὶ π]λὲν [παρ' Ἀθεναίοι = 34
σι τελε͂ν καὶ στρατ[εύεσθ]αι: τ[ὸς δὲ κλέρος μ = 34
ὲ μι[σθ]ο͂ν. ἐὰ(ν) μὲ οἰκ[ε͂ι Ηο λαχ]ὸ[ν αὐτόθι, κλε͂ρο = 34
ν δὲ[μ]ισθοῖ, ἀποτί[νεν τὸ(ν) μισθόμενον καὶ τὸ(ν) μ = 35
ισθο͂ντα Ηεκάτερ[ον . . . . .
ἐς δεμόσιο[ν. ἀπογράφεν δὲ ἒ ἄ = 23
ρχο[ν]τα ἒ ἄν[δρα βολε]υ[τέν. ἐσ τ = 23
ὰ δὲ [Η]όπλα π[αρέχεσ]θα[ι τ = 19
ριά[κ]οντα: δρ[αχμὰς], Ηο[πλίζε = 22
ν δὲ [τ]ὸν ἄρχο[ντα καὶ ἀποφαίν = 23
εν: [ἐπ]ὶ τε͂ς β[ολε͂ς (τε͂ς) ἐπὶ . . . . .

Ita verto: Das Volk hat beschlossen: wer ein Landlos auf Salamis bekommen hat, soll dort für immer wohnen dürfen, aber steuern und Kriegsdienst thun soll er mit den Athenern; ihre Landlose aber sollen sie nicht verpachten. Wohnt derjenige, der ein Landlos bekommen hat, nicht daselbst, und verpachtet er sein Landlos, so sollen der Pachtende und Verpachtende Jeder . . . . . in die Staatskasse als Strafe erlegen. Die Klage soll der Archon oder ein Mitglied des Rats eingeben. Für die Waffen sollen ihnen 30 δρ. ausgesetzt werden, ausrüsten aber soll sie der Archon und darüber Rechnung ablegen. Datum . . . . .

De singulis versibus pauca tantummodo addo:

vs. 2: *αἰεὶ* et *παρὰ*, vide Keil, l. l. et Meisterhans, Grammatik der att. Inschriften[2] 180, 41. C. J. A. I 469. Judeich praebet *οἰκεῖν [καὶ πο]λεῖν*, at ipse lectionem propositam *πολεῖν*, nusquam probatam, in dubium vocat.

vs. 4: Lipsii *ἐκε͂* reiecit Keil, l. l.

vs. 5: non audeo scribere: *τὸς μισθόμενον καὶ μισθο͂ντα* quamquam ita haberemus versum 34 litterarum.

vs. 6: de multa nihil conicere praefero.

vs. 7: Keil, l. l. reiecit *ἐς δεμόσιον;* sed non permoveor ut eum sequar; cfr. Meisterhans[2] 187, 21. Judeich errorem lapicidae sumit.

vs. 8: hoc quoque loco Adolfo Wilhelm gratias refero quam maximas, qui iam antea litteris, quas summa benignitate ad me dedit, fragmentum sextum a Lolling inventum mecum communicavit idque ad versus 8, 9, 10 pertinere me monuit. Cum Lipsii verba ἒ ἄνδρα ἰδιότεν pugnarent contra litteram V quae exstat in novo fragmento, eorum loco supplevi ἒ ἄν[δρα βολε]υ[τέν.

vs. 9: quae praebeo non pro certis habeo; supplevissem παρέχεσθαι αὐτοῖς τριάκοντα δρ. nisi versus longior exsisteret; nec vero accipio quae proponit Judeich: τ]ὰ δὲ ὅπλα π[αρέχεσ]-θα[ι ἢ καταθεῖναι τ]ριά[κ]οντα δρ[αχμὰς] ὅ[ς ἂν θέλῃ, ἀπὸ τούτω]ν δὲ [τ]ὸν ἄρχο[ντα τὰ ὅπλα αὐτῷ παρέχ]ειν. nam cleruchis publice arma comparata esse sumo.

vs. 10: Adolfus Wilhelm inter litteras H O et versum 11 totum enuntiatum deesse censet, sed si versus 23 fere litterarum sumimus, unum verbum deest. Num ὁπλίζειν recte se habeat dubito.

vs. 12: quae coniecit Wilhelm: ἐπὶ τῆς βουλῆς ἧ ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε non accepi et propter numerum litterarum et quia decretum non post Clisthenis tempora factum esse existimo. Magis mihi arrident quae proposuit Judeich: ἐπὶ τῆς βουλῆς· ἐπὶ τοῦ δεῖνα (scil. ἄρχοντος). Id sane pro certo habeo his ultimis verbis tempus decreti finitum fuisse, sed quomodo id tum fieri solitum sit, nondum constat.

Sequitur altera quaestio: E versu quarto conclusi decreto agi de cleruchis. Iam supra demonstraveram inde ab anno 570/60 Salamina legitime Atheniensium fuisse et cum verisimile non sit Athenienses, quamdiu cum Megarensibus certabant, cleruchos in insulam misisse, cleruchiam post a. 560 deductam esse sequitur. Iam cum sub id tempus Pisistratus tyrannus exstiterit et deinde usque ad eiusdem tertium (vel secundum) reditum anno 539/8 (vel c. 545) continuis turbis intestinis laboraverit respublica Atheniensium, nec praeter Pisistratum in civitate fuerit qui cleruchiae deducendae operam daret, contra vero constet post tyrannidem stabilitam Pisistratum agros nobilium, qui Atticam reliquerant, mercen-

nariis (ἐκτήμοροι) tribuentem (cfr. Busolt II 327/9 et Arist. Ἀθ. πολ. 16) imprimis pauperum rebus consuluisse, non dubito sumere post annum 540 Pisistratum cleruchiam Salamina deduxisse et usque ad id tempus indigenarum qui bellis superstites in insula remanserant et ut subiecti tributum pendebant, fortasse etiam singulos Athenienses in bello de patria bene meritos et agris donatos, Salamina tenuisse.

Iam quomodo tum res cleruchiae institutae fuerint nescimus, sed in universum de Atheniensium republica sumptum fuisse exemplum probabile est e posterioribus temporibus.

Haec nos docet decretum nostrum: colonos iussos esse manere in insula nec fundos elocare,[1]) sed cum Atheniensibus vectigalia pendere et in bellum proficisci, i. e. cleruchi inserebantur ordinibus Atheniensium nec separata pars exercitus Attici erant. Sane tenendum est decretum quo populus Atheniensis iusserat cleruchiam esse deducendam et quo de rebus cleruchiae administrandis statutum erat (cfr. C. J. A. I 31) iam praecessisse, sed id paulo ante factum esse persuasum habeo — fortasse decretum nostrum tantummodo est additamentum (Amendement), quia tam diversas res exhibet — nam si coloni iam dudum essent deducti, non hoc decreto de armis cleruchis praebendis statueretur. Versibus 8 et 11 nominatur ἄρχων, quem ut posterioribus temporibus ab Atheniensibus creatum et Salamina missum esse verisimile est. Quaenam eius fuerit provincia tantummodo conici licet, ita eum disciplinae publicae praefuisse, sollemnia publica instituisse, etiam quodam iudicis munere functum esse suspicor.

Versu octavo non dubitavi supplere ἄνδρα βουλευτήν, nam plane persuasum habeo, inde ab initio cleruchiam suum senatum habuisse, quamvis eum non magni momenti fuisse concedam; quomodo senatores creati sint et quot fuerint, ignoramus.

---

[1]) Swoboda, Serta Harteliana. Wien 1896, pg. 29.

B. Post Clisthenis tempora.

Antequam quaestionem instituamus de cleruchiae re publica et de magistratibus, nonnulla praemonenda sunt de cleruchis post Clisthenis tempora Salamina deductis.

E Pindari scholio (ad Nem. II 19) Beloch et Busolt[1]) sumpserunt cleruchos demum post formam rei publicae a Clisthene mutatam Salamina deductos esse ex eo quod ibi *Τιμόδημος Ἀχαρνεύς* dicatur, quae sententia non stat, nam etiam ante Clisthenis tempora demotica inveniri recte monet Wilhelm l. l.;[2]) at sane tenendum est cleruchos eadem ratione atque ceteros cives Atticos anno 508/7 novo ordini insertos esse secundum pagos e quibus oriundi erant, et exinde cleruchos quoque demotica habuisse.

Initio quarti saeculi, et id anno 387/6 vel paulo ante novos cleruchos Salamina missos esse concludo e titulo C. J. A. II 14 b 7: *καθάπ]ερ τοῖς ἐς Σαλαμ[ῖνα* et fulcitur haec opinio eo quod scimus a triginta viris trecentos Eleusinios Salaminiosque qui rebus plebis studerent (vide supra pg. 10) interfectos esse, et in horum locum postea novos cleruchos missos esse facile intellegitur.

Tertium Athenienses sub finem saeculi quarti cleruchos Salamina deduxisse concludendum est e verbis Pausaniae I 35, 2 (de hac re vide supra pg. 12) qui tradit Athenienses cleruchos Salaminios expulisse, quod anno 317 urbem Cassandro prodidissent — et id factum esse inter annos 307 et 296/5 supra demonstravisse mihi videor — atque ex eo quod etiam postea cleruchos in insula fuisse tituli docent. Ergo circa annum 296/5 tertium cleruchi Salamina deducti sunt, at sicut video post illa tempora nihil de novis cleruchis deductis traditum est.

Iam transeamus ad ipsam cleruchorum rem publicam, atque primum videamus de senatu et comitiis, deinde de magistratibus.

---

[1]) Beloch, gr. Gesch. I 327, Busolt II 444 Anm.

[2]) Judeich l. l. verba scholii ita explicat ut dicat *Τιμόδημον* aut non primorum cleruchorum sed postea eo missum aut gente cleruchica ortum fuisse.

1. De senatu et comitiis.

Ad internas cleruchiae res administrandas, cum in aliis rebus quae ad universam rempublicam Atheniensium pertinerent sub legibus et scitis populi Atheniensium essent, cleruchos senatum et comitia habuisse, coram quibus, sicut Athenis, cleruchorum magistratus (*ταμίας, ἐπιμεληταί, γυμνασίαρχος*) et collegia nonnullorum virorum ad extraordinaria opera publica administranda creata, rationem gestae provinciae redderent,[1]) tituli docent et quidem haec exempla populi scitorum tradita sunt:

1. B. C. H. VI (1882) ed. Monceaux = C. J. A. IV. 2, 591 b. a. 244/3 *Χαιρέδημος Ἐπιχαρίνου Κολωνῆθεν εἶπεν· ἐπειδὴ Ἡράκλειτος Ἀσκληπιάδου Ἀθμονεὺς πρότερόν τε παρὰ τῷ βασιλεῖ Ἀντιγόνῳ τεταγμένος διετέλει λέγων καὶ πράττων ὑπὲρ τοῦ δήμου τοῦ Σαλαμινίων ὅσα ὑπελάμβανεν συμφέρειν καὶ τοῖς ἰδίᾳ Σαλαμινίων ἀφικνουμένοις πρὸς τὸν βασιλέα συμφιλοτιμούμενο(ι)ς εἰς τὸ μηθενὸς τῶν δυνατῶ[ν] ἀπράκτους γενομένους ἀπιέναι, καὶ νῦν καθεστηκὼς ὑπὸ τ[ο]ῦ βασιλέως στρατηγὸς ἐπὶ τοῦ Πειραιέως καὶ τῶν ἄλλων τῶν [τ]αττομένων μετὰ τοῦ Πειραιέως διατελεῖ πολλὴν πρόνοιαν ποιούμενος ὅπως ἂν μηθὲν ἀδίκημα γίνηται κατὰ τὴν χώρ[α]ν, καὶ τῶν τειχῶν τῶν ἐν τῇ νήσῳ πεπτωκότων συνεπεμε[λ]ήθη ὅπως ἀνοικοδομηθῇ, καὶ πολέμου γενομένου τοῦ περὶ Ἀλεξάνδρου καὶ πειρατικῶν ἐκπλεόντων ἐκ τοῦ Ἐπιλιμνίου, τὴν πᾶσαν πρόνοιαν ἐποιεῖτο τοῦ μηθὲν βλαβερὸν γίνεσθαι πε[ρ]ὶ τὴν χώραν, ἀκολούθως τὴν τούτων ἐπιμέλειαν ποιούμενος τῇ τοῦ βασιλέως πρὸς τὸν δῆμον αἱρέσει, ἔτι δὲ καὶ σώματος ἁρπ[ασ]θέντος ἐκ τῆς νήσου καὶ ἐξαχθέντος εἰς τοὺς ὑπεναντ[ίου]ς ἀ[πέδωκ]εν καὶ τοὺς ἀδικήσαν[τ]ας ἐκόλασεν, φανερ[ὸ]ν ποιῶν [ὅτι οὐ]κ ἐπιτρέψει τοῖς ἀδικοῦσιν τὰ ἐν τῇ πόλει καὶ τὰ ἐν τῇ χώ[ρᾳ, π]αρέχ[ετ]αι δὲ καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ χρείαν τῷ βουλομένῳ Σαλ[αμι]ν[ίων κα]ὶ τἆλλα πράττων διατελεῖ τὰ συμφέροντα Σαλαμινί[οις καὶ ἰδία]ι κα[ὶ] κοινῇ. ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι τῷ δήμῳ τῷ Σ[αλαμινίων ἐπαινέσαι] Ἡρά[κλει]τον Ἀσκ[λη]π[ιάδου Ἀθμονέα κτλ.*

---

[1]) C. J. A. II 594, 19; 595, 4.

Aetatem huius tituli Monceaux recte definivit, in finem anni 244 vel initium 243; in eo vero erravit, quod anno 243 Salamina ab Arato expugnatam et Macedonibus ereptam esse dicit (cfr. supra pg. 13.) Ad Arati invasionem anno 243 factam referat aliquis verba *καὶ τῶν τειχῶν τῶν ἐν τῇ νήσῳ πεπτωκότων συνεπεμελήθη ὅπως ἀνοικοδομηθῇ*, et ob hanc rem titulum in tempora post annum 243 reiciat, sed tum sane mirandum est, Arati nomen omitti.

Docet hic titulus vel sub Macedonum dominatione Salaminios, qui non desierunt Attico more sese appellare, comitia habuisse, et in universum eorum res haud mutatas fuisse puto; tantummodo Athenis non iam magistratus in insulam mittebantur, sed summa potestas erat penes praetorem Macedonicum. Ex eo quod in fine legimus *δεδόχθαι τῷ δήμῳ τῷ Σαλαμινίων ἐπαινέσαι Ἡράκλειτον* nec mentio fit senatus, conicimus hanc esse rogationem inter comitia ad populum latam.

2. B.C.H. 1886, pg. 451 ed. Foucart = C. J. A. IV, 2, 591 c. Fragmentum decreti Salaminiorum incertae aetatis.

]αι ἀξίως των[. . . . .
]ἀγορᾶι τε κ[αι
]ου καὶ ἐπιμε[λ
]ους ἑξακοσι[
]τους στατη[ρ
ἐπαι]νέσαι δὲ Χρ[
δήμου] τοῦ Σαλαμιν[ίων
στεφα]νῶ[σα]ι χ[ρυσῷ στεφάνῳ

3. C. J. A. II 594. anni 127.

Ἐ[πὶ] Ἐπικλέους ἄρχοντος ἐν ἄστει, ἐν Σαλαμῖνι δὲ Ἀνδρονίκ[ου]· Μεταγειτνιῶνος τετράδι μετ' εἰκάδας· Θεογένης Κ[α]λλιμάχου Λευκονοεὺς εἶπεν· ἐπειδὴ Θεόδοτος Εὐστρόφου Πειραιεὺς χειροτονηθεὶς γυμνασίαρχος εἰς τὸν ἐνιαυτὸν τὸν ἐπὶ Ἐργοκλέους ἄρχοντος τάς τε θυσίας ἐβουθ[ύ]τησε[ν] ἁπάσας τὰς καθηκούσας καὶ ὑπεδέξατο τοὺς ἀλειφομένους πάντας· συνετέλεσεν δὲ καὶ τὰ Ἕρμαια κ[αὶ] ὑ[πε]δέξατο πάντας ἀναλώσας εἰς ταῦτα οὐκ ὀλί(γ)ον· προ[σε]δαπάνησε δὲ καὶ πρὸς τὸ μερισθὲν αὐτῷ εἰς τὸ ἔλαιον·

ἐκ τῶν ἰδίων· ἀνέθηκεν δὲ καὶ ὅπλα ὀκτὼ καὶ ἀνέγραψ[ε]ν τοὺ[ς] νενικηκότας τοὺς δρόμους, ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς τ[ὰ κ]ανᾶ [εἰ]ληφότας· ἐπανήγαγεν δὲ καὶ τὰς ἐπαναγωγὰς καθ' ἕκα[σ]τον μῆνα ποιούμενος ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις· ἦρξεν δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς δικαίως κα[ὶ] κατ(ὰ τ)οὺς νόμους φιλοτιμίας καὶ σπουδῆς οὐθὲν ἐλλε[ί]πων, εἰς ταῦτα πάντα ἀνηλώσας πλεῖον ἀργύριον· ᾠκοδόμησεν δὲ καὶ τὸν τοῖχον ἐκ τῶν ἰδίων τῆς σ[τ]ο[ᾶς] τὸν βλέποντα πρὸς νότον, καὶ περὶ τούτων πάντω[ν] ἀπολελόγισται τεῖ βουλεῖ καὶ τῷ δήμῳ, δέδωκε δ[ὲ καὶ] τὰς εὐθύνας· ὅπως ἐφάμιλλον ᾖ πᾶσι τοῖς βουλομέ[νοις] φιλοδοξεῖν εἰδόσιν ὅτι καταξίως τιμηθήσονται τ[ῶν] εὐεργεσιῶν, ἀγαθεῖ τύχει δεδόχθαι τεῖ βουλεῖ, τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων, γνώμην δὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, ὅτι δοκεῖ τεῖ βουλεῖ ἐπαινέσαι τὸν γυμνασιαρχήσαντα τὸν ἐνιαυτὸν τὸν ἐπὶ Ἐργοκλέους ἄρχοντος Θεόδοτον Εὐστρόφου Πειραιέα καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον φιλοτιμίας ἕνεκεν τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Σαλαμινίων καὶ ἀνειπεῖν τὸν στέφανον τοῦτον Διονυσίων τῶν ἐν Σαλαμῖνι τραγωδοῖς, ὅταν πρῶτον γίνηται, καὶ Αἰαντείοις τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι. ἀναγράψαι τόδε τὸ ψήφισμα τὸν γραμματέα τοῦ δήμου εἰς (σ)τήλας λιθίνας [δ]ύο καὶ στῆσαι μίαν μὲν ἐν τῷ γυμνασίῳ, μίαν δὲ ἐν τῷ ἐπιφανεστάτῳ τῆς ἀγορᾶς τόπῳ· τῆς δὲ ἀναγορεύσεως τοῦ στεφάνου καὶ τῆς ἀναθέσεως τῶν στηλῶν ἐπιμεληθῆναι τοὺς ἐπιμελητάς, μερίσαι δὲ τὸν ταμίαν Φιλοκλῆν Πειραι[έ]α ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων [τῶ]ι δήμῳ. — Ὁ δῆμος ὁ Σαλαμινίων Θεόδοτον Εὐστρόφου Πειραιέα γυμνασιαρχήσαντα ἐπὶ Ἐ[ρ]γοκλέους ἄρχοντος.

4. C J A II 595; anni 108.

. . . . . ἐ]γδοσει[. . . . .]ις ποιεισθ[αι . . . . .]ντιθεμε[ν . . . . .]ν[κ]ειμένους νόμους καταβαλέσθω[σαν λόγον ὧ]ν τε ἂν [λά]βωσιν ἐμπροσόδῳ καὶ ἀνηλώσωσιν ε(ἰ)ς [τὸν ἐνιαυτ]ὸ[ν] τὸ[ν] μετὰ Σαραπίωνα ἄρχοντα· ὑποθέτωσαν δὲ καὶ [ἐάν τι προε]ισενέγκωσιν διαφόρου εἰς τὰ ἔργα· εἶναι δὲ τοῖς ἀνδρά[σιν ἐπιμε]ληθεῖσιν καλῶς καὶ δικαίως τῆς κατασκευῆς τῶν προγε[γραμμέν]ων ἔργων ἐπαινεθῆναι καὶ στεφανωθῆναι ὑπὸ τοῦ δήμου [τοῦ Σαλ]αμινίων ἕκαστον θαλλοῦ στεφάνῳ εὐσεβείας ἕνεκεν καὶ καλο[κ]αγαθίας

τῆς πρὸς τοὺς θεούς. ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τὸν [γ]ραμματέα τοῦ δήμου εἰστήλην λιθίνην καὶ στῆσαι εἰς τὴν ἐξέδραν, [τὸ] δὲ γενόμενον εἰς αὐτὴν ἀνήλωμα μερίσαι τοὺς ἐπὶ τὴν ἐπισκευήν· [ἀν]αγράψαι δὲ εἰς αὐτὴν καὶ τῶν ἐπιδεδωκότων τὰ ὀνόματα καὶ πόσον ἐπέδωκεν, ἵνα τούτων συντελουμένων καλῶς ἔχῃ καὶ εὐσεβῶς τῷ δήμῳ τῷ Σαλαμινίων τὰ πρὸς τοὺς θεούς. τὸ δὲ ψήφισμα τόδε [ἐ]πειδή ἐστιν περὶ ἱερῶν ἐπισκευῆς καὶ τῆς ἐπικοσμήσεως τῶν κοι[νῶν], [ἐ]πειδὴ καὶ ὁ στρατηγὸς κα[ὶ οἱ ἐ]πιμεληταὶ συναποφ[αί]νονται, ἅπαν ἔ[στω] εἰς φυλακήν. οἱ κατασκ[ευ]ῶντες τὰ ἱερὰ καὶ τὴν ἐξέδραν κατὰ τὸ ψ[ήφ]ισμα· οἵδε εἱρέθησαν· Θεόδοτος Πειραιεύς, Αἴσχρων Αἰξωνε[ύς], [Χ]α[ρι]κλῆς Λευκονοεύς.

De hoc titulo nonnulla disseruit Meinhold (pg. 30/31) quae mihi videntur ita emendanda esse:

Primum quidem vs. 17/8 lectio Köhleri probanda est; cur vero omiserit litteras *Α Π Α Ν* quae in lapide exstare videntur, nescio et re vera, nec tantummodo fortasse, ut ait Meinhold, ita legendum est: τὸ ψήφισμα τόδε .... ἅπαν ἔστω εἰς φυλακήν, nam eiusdem formulae exempla habemus:

C. J. A. II. 225, 13: ταῦτα δὲ εἶναι] εἰς φυλακὴν τῆς χώ[ρας, quae formula, omisso ἅπαν, fortasse vetustior est,

C. J. A. II. 334, vs. 27 anni 223/4 (?)

τὸ δὲ ψή[φισμα τόδε ἐπειδὴ] περὶ πόρου χρημάτω[ν] ἐστὶν στρατιωτικῶ[ν εἶναι ἅπαν εἰς φυ]λακὴν τῆς χώρας.

C. J. A. II. 809 b, 38. 39. anni 325/4:

ταῦτα δ' εἶναι ἅπαντα εἰς φυλακὴν τῆς χώρας

C. J. A. II. 811 c, 156. anni 323/2:

τὸ δὲ ψήφισμα τόδε ἅπαν εἶναι εἰς φυλακὴν τῆς χώρας ἐπειδή ἐστιμ περὶ χρημάτων εἰσπράξεως.

Notum est Athenis praeceptum fuisse, ut comitiis principalibus (ἐκκλησία κυρία) de custodia patriae ageretur,[1]) sed utrum formula illa cum hac lege cohaereat necne, ex exemplis diiudicari nequit; atque titulus 334, qui unus praescripta exhibet, versu 6 tantummodo habet: ἐκκλησία nec ἐκκλησία κυρία.

---

[1]) Ar. Ἀθ. πολ. 43, 4: προγράφουσι δὲ καὶ τὰς ἐκκλησίας οὗτοι· μίαν μὲν κυρίαν, ἐν ᾗ δεῖ καὶ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας χρηματίζειν. cfr. Gilbert, Staatsaltertümer I² 319.

Quare cuius momenti fuerit haec formula nescio, et sane mirum est in titulo II 595 eam addi, cum non agatur de re ad custodiam patriae pertinenti sed de aedificiis reficiendis, sed videtur ob eam ipsam causam formulam illam non nisi consensu praetoris et curatorum addi licuisse.

Meinhold item probare videtur quo modo Köhler vs. 18 vocem *οἱ κατασκ[ευ]ῶντες* supplevit, addit autem haec: „sed ne sic quidem diiudicare possumus, num *οἱ κατασκευῶντες τὰ ἱερὰ* magistratus fuerint.“ Mihi quidem in propatulo esse videtur illos magistratus non fuisse, sed tresviros ad hoc unum electos, qui his operibus publicis operam darent, itemque Paulum Meinhold errasse puto, qui de iisdem viris, qui vs. 12 nominantur *οἱ ἐπὶ τὴν ἐπισκευήν* haec: „hoc collegium aedificiis publicis curandis praefectum administrabat illud aerarium ex quo quae opus erant ad aedificanda et reficienda opera publica solvebantur. C. I. A. II 595, 12 *τὸ δὲ γενόμενον εἰς αὐτὴν ἀνήλωμα μερίσαι τοὺς ἐπὶ τὴν ἐπισκευήν*. Quia hoc decretum factum est in eorum honorem, qui de aedificiis publicis bene meriti erant, non quaestorem sed *τοὺς ἐπὶ τὴν ἐπισκευήν* sumptus columnae constituendae ex eo cui praeerant aerario solvere populus iussit.“ Ego autem hos *ἐπὶ τὴν ἐπισκευήν* eosdem tresviros templis reficiendis creatos habeo, nam primum quidem videmus titulum plane promiscue praebere: vs. 7 *τῆς κατασκευῆς*, vs. 16 *περὶ ἐπισκευῆς*, vs. 18 *οἱ κατασκευῶντες*, deinde ipso titulo docemur Salaminios aerarium, e quo quae opus erant ad aedificanda et reficienda opera publica solverentur, non habuisse, nam vs. 13 docet pecunias necessarias stipibus esse collectas, et tum populum Salaminiorum, cuius aerarium *τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων* pingue non fuerit, sumptus columnae constituendae e pecuniis ad opera publica collectis solvere iussisse tresviros illos, mirandum non est.

5. C. J. A. II. 465, 39. anni 108.

(*Δημήτριος Οὐλιάδου Ἀλωπεκῆθεν κοσμητὴς ἐστεφανώθη*) *ὑπὸ τῶν ἐν Σαλαμῖνι κατοικούντων Ἀθη[ναίων χρυσ]ῷ στεφάνῳ*.

6. C. J. A. II. 467, 26. anni 99.

(*οἱ ἔφηβοι*) *ἐτιμήθησαν ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Σαλαμινίων*.

7. C. J. A. II. 468, 15. anni 95.

(οἱ ἔφηβοι) ἐτιμήθησαν ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ [Σαλαμινίων].

8. C. J. A. II. 469, 23 de tempore vide infra.

(οἱ ἔφηβοι) [ἐπῃνέθησαν ὑπὸ τῶν τὴ]ν νῆσον κατοικούντω[ν κ]αὶ ἐσ[τεφανώθησαν χρυσῷ στεφάνῳ ἐπὶ τῷ εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως πεποιῆ]σθαι τὴν ἐπιδημία[ν.

Salaminiorum decretum exstat vss. 75—88:

[Φ]ιλοκλῆς Ἡνιόχου Ποτάμιος εἶπεν· ἐπειδὴ οἱ ἔφηβοι οἱ ἐπὶ [Π]υθέου ἄρχοντος ἐν Σαλαμῖνι, ἐν ἄστει δὲ Ἱππάρχου παραγε[ν]όμενοι δυσὶ πλοίοις δικρότοις ἐπὶ τὴν πομπὴν καὶ θυσίαν καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν Αἰαντείων τ(ή)ν τε πομπὴν συνέπεμψαν τῷ [Α]ἴαντι καὶ ἔθυσαν μετά τε τοῦ ἄρχοντος καὶ τοῦ στρατηγοῦ καὶ τῶν ἐπιμελητῶν· ἀνεστράφησαν δὲ ἔν τε τῇ ἐπιδημίᾳ εὐτά[κ]τως καθάπερ ἦν αὐτοῖς ἁρμόττον· ὅπως οὖν τούτων αὐτοῖς ὑπάρχῃ ὑπόμνημα παρὰ τοῦ δήμου τοῦ Σαλαμινίων, ἀγαθεῖ τ[ύχῃ δ]εδόχθαι τεῖ βουλεῖ, τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων, γνώμην δὲ ξυμβάλλεσ[θαι τ]ῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, ὅτι δοκεῖ τεῖ β[ου]λῆ, ἐπαινέσαι τοὺς ἐφήβους τοὺς ἐπὶ Πυθέου [ἄρ]χοντος ἐν Σαλαμῖνι, ἐν ἄστ[ει δὲ Ἱππ]άρχου καὶ τὸν κοσμητὴν αὐτῶν Θεόχαριν Ἑστιαίου ἐκ Κεραμέων καὶ στεφανῶσαι αὐτ[οὺς] χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νό[μον, καὶ ἀνει]πεῖν τὸν στέφανον τοῦτον Διονυσίων [τ]ῶν ἐν Σαλαμῖνι τραγῳδῶν τῷ ἀγῶνι· τῆς δὲ ποιήσ[εω]ς τοῦ στεφάνου καὶ ἀναγορεύ[σεως ἐ]πιμεληθῆναι τὸν ἄρχοντα καὶ τὸν στρατηγὸν καὶ τοὺς ἐπιμελητάς· ἐπαινέσαι δὲ καὶ τὸν παιδοτ[ρίβ]ην Λυσικράτην Κλειτομάχου [Κεφαλλῆ]θ[εν] καὶ τὸν ὁπλομάχον Νικάδαν Νικάδα Μελιτέα καὶ τὸν τοξότην Διοκλῆν Ξενοπείθου Κολω[νῆ]θεν καὶ τὸν ἀκοντιστὴν Ἱ[έρων]α Ἡρ[α]κλείδου Ἀναγυράσιον καὶ τὸν ἀ[φέτην Κα]λχηδόνα Καλχηδόνος Περιθοίδην καὶ τὸν γραμμ[ατ]έα αὐτῶν Μενεκλῆν Ἀπ[ολλω]νίου Κυδαντίδην καὶ τὸν ὑπηρέ[την] αὐτῶν Διον[ύσιον Θ]εοτείχου Εὐπυρίδην, καὶ στεφανῶ[σαι] ἕκαστον αὐτῶν θαλλοῦ στ[ε]φάνῳ. ἀναγράψαι δὲ [τόδε τὸ ψήφισμ]α τὸν γραμμα[τέα τοῦ] δήμου εἰς στήλην λιθίνην καὶ στ[ῆσαι] ἐν τῷ Αἰαντείῳ, εἰς δὲ τὴν ἀ[ναγ]ραφὴν τ[ῆ]ς [στήλης μ]ε[ρί]σ[αι τὸν τ]αμίαν ἐκ τῶν εἰ[ς τὰ κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ [δή]μῳ.

C. J. A. II. 470, 17 de tempore vide infra:

(οἱ ἔφηβοι) ἐστεφανώθησαν ἐπὶ τού[τ]οις πᾶσιν ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Σαλαμινίων χρυσῷ στεφάνῳ.

Salaminiorum decretum exstat vss. 53—64:

Ἀριστώνυμος Φανίου Ἐλευσίνιος εἶπεν· ἐπειδὴ οἱ ἔφηβοι οἱ ἐπὶ Ἀριστά[ρχου ἄρ]χοντος παραγενόμενοι ἐπὶ τὴν θυσίαν καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Αἰαντείων τήν τε πομπὴν συνέπ[εμ]ψαν τῷ Αἴαντι, ἔδραμον δὲ καὶ τὴν λαμπάδα, ἐποιήσαντο δὲ καὶ ἅμιλλ[αν τ]οῖς πλοίοις, ἐποιήσαντο δὲ καὶ τὴν ἐπιδημίαν εὐσχήμονα καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἀνεστ[ράφησαν] εὐτάκτως καθάπερ ἦν αὐτοῖς ἁρμόττον, ἔθυσαν δὲ καὶ τῷ Αἴαντι, ὁ[μ]οίως δὲ καὶ τῷ Ἀσκληπιῷ· ὅπως οὖν ἁπάντων τούτων ὑπάρχῃ αὐτοῖς ὑπόμνημα παρὰ τοῦ δήμου τοῦ Σαλαμινίων, ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι τῇ βουλῇ, τοὺς λαχόντ[ας προ]έδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι [περὶ] τούτων, γνώμη[ν δ]ὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ, ἐπαινέσαι τοὺς ἐφήβου[ς τοὺς] ἐπ' Ἀριστάρχου ἄρχοντος καὶ τὸν κοσμητὴν αὐτῶν Εὔδοξον Εὐδ[όξο]υ Ἀχερδούσιο(ν) καὶ στεφανῶσαι αὐτοὺς χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον, ἀνειπε]ῖν δὲ αὐτῶν τὸν στέφανον Διονυσίων τῶν ἐν Σαλαμῖνι τραγῳδῶν τ[ῷ καινῷ ἀγ]ῶνι, τῆς δὲ ποιήσεως το[ῦ] στεφάνου καὶ ἀναγορεύσεως ἐπιμεληθῆναι τοὺς ἐπιμ[ελητάς]· ἐπαινέσαι δὲ καὶ τὸν ὁπλομάχον Ἡρόδοτον Εἰτε[αῖ]ον καὶ τὸν ἀκοντιστὴν Διονύσιον Σφαίρου Ἀζηνιέα καὶ τὸν τοξότην Μενέστρατον Ἀσ[κληπιάδ]ου Τρικορύσιον καὶ τὸν ἀφέτην Καλλίαν Αἰγιλιέα καὶ τὸν παιδοτρίβην Σπουδίαν Καφισίου Ὄῆθεν καὶ τὸν γραμματέα Καλλιάδην Ἑρμαγό[ρου Στειρ]ιέα καὶ τὸν ὑπηρέτην Ἐπίγονον Δημητρίου Πειραιέα, καὶ στεφανῶσαι ἕκαστον αὐτῶν θαλλοῦ στεφάνῳ· ἀναγράψαι δὲ τὸ ψήφισμα τὸν γραμματ[έα τοῦ δήμ]ου εἰς στήλην λιθίνην καὶ στῆσαι παρὰ τὴν Δημοκρατίαν· εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν καὶ τὴν ποίησιν τῆς στήλης μερίσαι τὸν ταμίαν τὸ γενόμενον ἀ[νάλωμα ἐ]κ τῶν κατὰ τὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ.

9. C. J. A. II 471, 31 de tempore vide infra:

(οἱ ἔφηβοι) ἐπηνέθησαν ὑπ[ὸ τοῦ δήμου τοῦ Σαλαμινίω]ν καὶ ἐστεφ[αν]ώθησ[αν] χ[ρ]υσῷ σ[τεφά]νῳ ἐπὶ τῷ εὐτάκτως καὶ [εὐσ]χημόνως πεποιῆσθ[αι τὴν ἐπιδ[ημ]ίαν.

Vs. 73: (ὁ κοσμητὴς) ἐπῃ[νέθη κα]ὶ ἐσ[τεφανώθη ὑπὸ τῶν τὴν νῆ]σον [κατοικού]ντων ἐπὶ τῷ εὐτάκτ[ως] καὶ εὐσχημόνως πεποιῆσθαι τὴν ἐπιδημίαν.

Cum in alia tempora Köhler, in alia de Schöffer (Pauly-Wissowa s. v. Archonten) archontes titulis 469, 470, 471 memoratos referat, paucis hanc quaestionem attingam.

Primum quidem mirum est, his titulis praecipi, ut coronae renuntientur tantummodo Dionysiis, Panathenaeis et Eleusiniis, contra Dionysiis, Panathenaeis, Eleusiniis et Ptolemaeis titulis 464 (inter a. 117/81), 466 (a. 105/4), 467 (a. 100/99), 468 (a. 95/4), tum his titulis nullos ab ephebis in bibliothecam dedicatos libros memorari, id quod fit: 465 (108/7), 468 (95/4) 480 (a. 52/1), 482 (a. 35/4).

Iam videmus anno 108/7 ephebos primum rogante Theodorida libros dedicavisse, atque hunc morem mansisse ultra annum 95/4[1]) tum eum evanuisse, nam anno 52/1 ephebi libros dederunt e decreto quod Metrophanes rogaverat.

Quibus de causis illos tres titulos, qui et ex ratione iota mutorum omissorum ad saeculum primum pertinere videntur,[2]) nam exhibent iota mutum titulus 469: 83 %/₀ (decretum Salaminiorum: 23 %), 470: 21 % (Salaminiorum decretum: 17 %) et 471: 83 %, in annos post a. 95/4 removendos esse suspicor, et cum Ptolemaea omnino nusquam post annum 95/4 memorentur, non multo ab illo anno non jam celebrata esse videntur (?) (vide de hac re etiam Excursum II).

Quae cum ita sint, in universum Udalrici Köhler rationes probandae atque archontes Hipparchus Lenaeusque post annum 94, Demetrius Nicodemusque paulo ante hos, et Aristarchus Agathoclesque inter annos 69/2, unde sequitur decretum populi Atheniensium in honorem Hyrcani Agathocle archonte factum,[3]) referendum esse ad Hyrcanum II (a. 69—40), ponendi videntur. Et in eandem aetatem atque

---

[1]) Cur anno 99/8 (C. J. A. II 467) libri non dedicati sint, nescio. Ob eamne causam titulus ad ulteriora tempora removendus?

[2]) Meisterhans,[2] l. l. pg. 53.

[3]) Josephus A. J. XIV 8, 5.

Aristarchus et Agathocles pertinent cum Heraclides Sosicratesque, quia epheborum catalogi annorum Agathoclis, Heraclidis, Sosicratis [1]) eundem paedotribam *Νέον Ἀφιδναῖον* exhibent, tum Paranomus Dionysiusque, quia titulus II 475, anni Dionysii *τοῦ μετὰ Παράνομον* exhibet eundem Stratophonta Stratoclis Suniensem *ἐπιψηφίσαντα* atque titulus 470, 65. 74.

Ex his novem decretis Salaminiorum cleruchorum, cum cetera omnia de honoribus ephebis vel singulis magistratibus decernendis agant, unum (595) alicuius momenti est, quod docet ad opera publica administranda, ubi magistratus ordinarii non sufficerent, Salaminiorum populum comitiis collegia nonnullorum virorum creasse.

Deinde tituli 469, 470, 594 probant plane eodem modo atque Athenis partem senatorum sorte electam praesidium comitiorum habuisse (*οἱ λαχόντες πρόεδροι*) senatumque rogationes, antequam ad populum deferrentur, deliberasse. Ante medium saeculum quartum praesidem prytanum comitiorum quoque praesidium habuisse, coniici licet. Valde dolendum est titulum II 594, qui unus praescripta exhibet, nihil nisi archontes, diem, oratorem exhibere, at nemo dubitabit quin cetera quoque omnia ex more Attico instituta fuerint.

Inscribere populi scita in lapides, eosque collocare ubi populus iusserat curae erat scribae populi (*γραμματεὺς τοῦ δήμου*), et habemus exempla lapides esse constitutos in gymnasio et fori loco maxime conspicuo (II 594), in exedra (II 595), in Aianteo (II 469) iuxta Democratiam (in foro?) (II 470).

2. De magistratibus.

Iam transeamus ad magistratus, quos fuisse in insula vel Athenis missos vel a cleruchis ipsis creatos comperimus.

a) De archonte.

Provinciam archontis [2]) eandem fuisse post Clisthenem atque antea, dubium non est (vide pg. 19), et quidem Aristo-

---

[1]) B. C. H. XIII 269/70 (Foucart).

[2]) de Wilamowitz, Aristoteles und Athen I 230 ss.

teles[1]) affirmat eum Dionysia instituere et choregos eligere (κληροῦσι δὲ καὶ εἰς Σαλαμῖνα ἄρχοντα, καὶ εἰς Πειραιέα δήμαρχον, οἳ τά τε Διονύσια ποιοῦσι ἑκατέρωθι καὶ χορηγοὺς καθιστᾶσιν.) sed modum archontum instituendorum anno 487/6 sicut Atheniensium mutatum esse puto, nam sub finem saeculi quarti archontem Salaminium sorte lectum esse nec licuisse quemquam bis eo munere fungi, idem Aristoteles docet.[2]) (κληροῦσι δὲ καὶ εἰς Σαλαμῖνα ἄρχοντα; ἄρχειν δὲ τὰς μὲν κατὰ πόλεμον ἀρχὰς ἔξεστι πλεονάκις, τῶν δ' ἄλλων οὐδεμίαν, πλὴν βουλεῦσαι δίς). Archontem magistratum eponymum fuisse et Aristoteles[3]) (ἐν Σαλαμῖνι δὲ καὶ τὸ ὄνομα τοῦ ἄρχοντος ἀναγράφεται) et tituli auctores sunt, sed unum tantummodo exstat exemplum, ubi archon Salaminius unus nominatur[4]) (Φιλόμηλος ἦρχε), aliis locis semper nomen archontis Attici additum est,[5]) nonnumquam vel archon Atticus unus exhibetur.[6]) Aristoteles[7]) porro quarto saeculo archonti in diem mercedem unius drachmae datam esse tradit (ἔπειτ' ἄρχων εἰς Σαλαμῖνα (λαμβάνει) δραχμὴν τῆς ἡμέρας).

Ex inscriptionibus perpauca ad archontis provinciam pertinentia discimus:

C. J. A. IV 2, 834 b: anni 328. Timotheus Alopecensis, quem Udalricus de Wilamowitz[8]) archontem fuisse recte mihi suspicari videtur, ex insula Salamine quadraginta medimnos, decem semihectea, duas choenices hordei sexcentesimam in templum Eleusina contulit.

C. J. A. II 469, 77: archon, στρατηγὸς et ἐπιμεληταί una cum ephebis Atticis, qui Salamina venerant, Aiaci sacra fecerunt, et in decreto populi Salaminiorum (l. l. vs. 83) prae-

---

[1]) Ἀθ. πολ. 54,8.

[2]) Ἀθ. πολ. 54, 8; 62, 3.

[3]) Ἀθ. πολ. 54, 8.

[4]) B. C. H. VI (1882) 521; vide supra pg. 10.

[5]) C. J. A. II 469, 75, 80; 594, 1.

[6]) C. J. A. II 470, 53. 57; 594, 27; 595, 5.

[7]) Ἀθ. πολ. 62, 2.

[8]) Aristoteles und Athen 232 Anm. 1.

cipitur, ut archon, στρατηγὸς et ἐπιμεληταί coronae epheborum faciendae renuntiandaeque operam dent.

b) De στρατηγῷ.

Quae de στρατηγῷ[1]) nobis traduntur, sunt perpauca, nam excepto illo loco Pausaniae (I 35, 2) bis tantummodo in inscriptionibus circa annum 100 a. C. n. memoratur.

Iam eum ab Atheniensibus creatum et Salamina missum esse omnes viri docti consentiunt; sed vides Aristotelem in libro de re publica Atheniensium, quamvis archontis Salamina et hipparchi Lemnum missi mentionem faciat, nusquam στρατηγὸν εἰς Σαλαμῖνα memorare; attamen e Pausania scimus eodem fere tempore, ad quod Aristotelis descriptio rei publicae pertinet, scilicet anno 318/7, στρατηγὸν in insula fuisse. Hanc discrepantiam recte mihi Udalricus de Wilamowitz,[2]) solvisse videtur, affirmans eum τῶν πρὸς τὰ παρόντα πράγματα ἐκπεμπομένων στρατηγῶν[3]) fuisse; itaque Aischetades, quem Athenienses capite damnaverunt, e numero decem ordinariorum στρατηγῶν ab Atheniensibus suffragiis creatorum fuerat, quem turbulentis illis temporibus Salamina miserant ad rem militarem in insula administrandam. Nec pugnant contra hanc opinionem C. J. A. II 469 et 595, 7, quamvis aliquis dicat, στρατηγὸν ibi magistratum ordinarium nec εἰς παρόντα πράγματα emissum videri, nam hi tituli pertinent ad Romanorum tempora et illis temporibus e decem στρατηγοῖς unum quotannis iuxta archontem sub specie praefecti militaris in insulam missum esse mirandum non est, cum omnino tum στρατηγοὶ Attici non haberent quod facerent. Titulo C. J. A. II 469, 83 etiam στρατηγῷ sicut archonti praecipitur, ut coronae faciendae renuntiandaeque operam det, id quod in maiorem honorem epheborum factum esse nec proprie ad στρατηγοῦ provinciam pertinuisse videtur.

---

[1]) Hauvette-Besnault, les stratèges Athéniens (thèse Paris 1884) pg. 171.

[2]) l. l. I 230 Anm.

[3]) Ἀθ. πολ. 61, 1.

Aliquid extraordinarii praebet tit. C. J. A. II 595, qui exhibet populi scitum de templis exedraque reficiendis; iam quamquam talia opera sine dubio ad rem ut ita dicam domesticam pertinent, ex arbitrio populi decreto tamen additur *τὸ ψήφισμα εἶναι εἰς φυλακήν*, i. e. decretum referendum esse ad rem militarem (ad patriae securitatem). Iam cuius momenti fuerit hoc additamentum plane ignoro (vide supra pg. 24), sed ad huiusmodi decretum consensu *στρατηγοῦ*, in cuius provinciam quasi res eo transponitur, opus fuisse titulus docet.

Falso Lolling (M. J. A. VII) e monumento a nonnullis equitibus in honorem Salaminis facto[1]) (circa annum 318) conclusit, illos equites cleruchos et hipparchum sicut Lemnum Athenis Salamina missum fuisse.[2]) Ad hanc opinionem refellendam sufficit, quod Aristoteles de magistro equitum Salamina misso nihil tradit; tum constat in re militari cleruchos ab Atheniensibus non separatos fuisse, et si qui Salaminiorum, quod cogitari licet, illis temporibus ut equites stipendia merebantur, sane non ad octoginta fuisse — tot nomina fuisse in monumento suspicatus est Lolling, — qui census equestris essent, luce clarius est. Itaque hi equites pars equitatus Attici fuerunt, et cum iam hi viginti equites quorum nomina exstant, ad sex tribus pertineant, (quaestionem institui catalogis pagorum Loeperi, M. J. A. XVII et Kirchneri C. J. A. II 4, pg. 73/4, usus), scilicet ad Erechtheida, Aigeida, Acamantida, Cecropida, Hippothontida et Aiantida (duos equites *Κολωνῆθεν* adnumeravi Aigeidi, quamvis eodem iure et Leontidi et Antiochidi adscribi poterant), omnem turmam ex omnibus decem tribubus compositam fuisse existimo. Quare hi octoginta equites erant fortasse unius vel duorum annorum (*στρατεία ἐκ καταλόγου*).

---

[1]) C. I. A. II 962: *οἱ ἱππεῖς τῇ Σαλ[αμῖ]νι ἀν[έθε]σ[αν]*
ἵππαρχος Θεογένης Θεομήδους Ἐλευσίνιος
ὁ δῆμος Θεογένην Ἐλευσίνιον
sequuntur viginti equitum nomina.

[2]) cfr. A. Martin, les cavaliers Athéniens (Paris 1886) pg. 385.

c) *De ἐπιμεληταῖς.*

Ἐπιμελητάς, qui memorantur C. J. A. II 469, 83; 470, 59; 594, 38; 595, 17; Udalricus Köhler[1]) magistratus cleruchorum fuisse putat, contra Meinhold[2]) duo genera *ἐπιμελητῶν* distinguit, quorum alteri erant ab Atheniensibus insulae administrandae praefecti (hos habes titulo 595), alteri erant magistratus minores ab ipsis Salaminiis delecti (hos habes titulo 594). Iam videamus quomodo res se habeat. Primum quidem *ἐπιμελητάς* ab Atheniensibus Hephaestiam, Myrrhinam, Haliartum et Delum missos esse constat,[3]) de *ἐπιμεληταῖς* Salaminiis id vero nusquam traditur; Aristoteles[4]) porro magistratus Samum, Scyrum, Lemnum et Imbrum missos esse auctor est, sed de Salamina missis nihil habet, atque hoc silentium Aristotelis quarto saeculo nullos ordinarios magistratus praeter archontem in insulam missos esse probat. Cur autem Romanorum temporibus ad cleruchiae res administrandas *ἐπιμεληταῖς* opus fuerit, causam non video. Postremo argumentum quod affert Meinhold ad opinionem, *ἐπιμελητάς* quos exhibet tit. 595 Athenis missos fuisse, fulciendam, his de causis reiiciendum esse puto:

1) ex illo loco (595, 38) apparet, non quae populus iusserat *στρατηγοῦ* et *ἐπιμελητῶν* auctoritate probanda fuisse, sed tantummodo *στρατηγῷ* et *ἐπιμεληταῖς* assentientibus licuisse illud populi scitum ad rem militarem referri (*εἶναι εἰς φυλακήν*; cfr. quae supra exposui);

2) ad hanc rem consensu *ἐπιμελητῶν* opus fuisse, mirum non est, cum ex aliis titulis evincatur ex eorum provincia fuisse coronis faciendis renuntiandisque et lapidibus constituendis operam dare, i. e. exsequi quae populus iusserat.

Itaque Udalricum Köhler secutus unum *ἐπιμελητῶν* genus fuisse existimo et hi, sicut video, non magistratus minores

---

[1]) M. J. A. I 257.

[2]) de rebus Salaminiis pg. 29.

[3]) B. C. H. IX 45 ss. (Foucart).

[4]) *Ἀθ. πολ.* 62, 2.

fuerunt sed uni cleruchorum ordinarii magistratus ad exsequenda decreta populi.

d) De ταμίᾳ.

Memoratur ταμίας titulis C. J. A. II 469, 88; 470, 63; 594, 38. Meinhold ex eo quod titulo 594 ταμίας nomine appellatur sumpsit ταμίας complures fuisse; argumentum quidem non probo, sed ad rem ipsam nihil proferre possum, nisi unum ταμίαν rebus cleruchiae mihi sufficere videri.

Iam hic ταμίας sicut Athenis sumptus lapidum collocandorum suppeditare iubetur ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων; unde autem cleruchorum aerarium pecunias accepit?[1]) Cum quae cleruchi ut cives Attici pendebant, item quae indigenae civitatis expertes pro conductis agris publicis in aerarium Athenas redundarent, restat cogitare de portoriis et inquilinorum tributis, nisi sumere vis aerarium Atticum sumptus cleruchiae suppeditasse.

Atque in universum sumptus ordinarios cleruchiae parvos fuisse consentaneum est, ad maiora autem opera perficienda pecuniae necessariae stipibus colligebantur (cfr. C. J. A. II 595, 13).

e) De gymnasiarcho.

Cum e titulo 594 multa de gymnasiarcho et de ephebis saeculi alterius a. C. discamus, quo modo res quinto et quarto saeculo fuerint, plane incertum est. Meo quidem iudicio per illa saecula ephebos Salaminios non separatim in insula sed una cum ephebis Atticis duos ephebiae annos degisse dubium non est, cum in catalogis Atticorum pagorum inscriberentur, et post ephebiam cum omnibus civibus Atticis ex iisdem catalogis ad stipendia vocarentur. Cum autem vis ephebiae circa annum 300 evanuisset,[2]) sane nihil obstabat, quin ephebi

---

[1]) cleruchos etiam Salamine munera publica praestasse (λειτουργεῖν) docent verba Aristotelis, Ἀθ. πολ. 54, 8: κληροῦσι δὲ καὶ εἰς Σαλαμῖνα ἄρχοντα, καὶ εἰς Πειραιέα δήμαρχον, οἵ τά τε Διονύσια ποιοῦσι ἑκατέρωθι καὶ χορηγοὺς καθιστᾶσιν.

[2]) Busolt, Staatsaltert.[2] pg. 307.

Salaminii suas exercitationes in insula haberent, moderante gymnasiarcho quem cleruchi creabant. Praeter eum alios magistros fuisse ob parvum numerum epheborum verisimile non est,[1] nisi sumas etiam peregrinos sicut Athenis exercitationibus interfuisse, qua de re catalogum epheborum Salaminiorum nos certiores facturum esse spero.

EXCURSUS I.

De tribu Ptolemaide.

Quonam tempore tribus Ptolemais[2]) instituta sit, e nonnullis titulis, quos Köhler C. J. A. IV 2 (supplementa continens ad vol. II) publici iuris fecit, accuratius quam hucusque factum est, definiri potest.

Nuperrime Niese,[3]) cum alii[4]) Athenienses Ptolemaidem in honorem Ptolemaei III Euergetis creasse censeant, recte eam in honorem Ptolemaei IV Philopatoris (221—204), contra Pausaniae[5]) testimonium, qui hunc honorem falso Ptolemaeo II Philadelpho (285—246) tribuit, factam esse monet, sed annum definire omisit. Titulus C. J. A. IV 2, 385d evincit archonte Diocle tredecim tribus fuisse, quem Dioclem interpositis annis quibusdam inter archontes Chaerephontem et Aeschronem magistratu functum esse probat titulus C. J. A. IV 2, 619 b, qui nonnullis annis bello sociali recentior est; contra Heliodoro archonte duodecim tribus fuisse docet titulus C.J.A. IV 2, 385 b, quia nominatim decem συμπρόεδροι enumerantur. Iam hunc eundem archontem Heliodorum exhibet tit. C. J. A. IV 2, 385 c,

[1]) Athenis circa a. 69/2 numerum epheborum centum et quadraginta fuisse docet tit. 470, 37.

[2]) Gilbert, Staatsaltertümer I [2] 222; Busolt, Staatsaltertümer [2] 191.

[3]) II 464.

[4]) Schebelew, aus d. Gesch. Athens, 229—31; Denkschr. d. hist.-phil. Fak. St. Petersburg 1898; quod opus mihi e Schöfferi recensione (Berl. phil. Wochenschrift 1899 Nr. 33 4) notum est, et de Schöffer, Pauly-Wissowa s. v. Chairephon.

[5]) I 6, 8.

qui, cum res in eo memoratae pertineant ad annos 219 vel 218,[1]) aut anno 218/7 aut 217/6 adscribendus est; ergo usque ad annum 218 vel 217 tribus Ptolemais nondum exstitit; et apud Polybium[2]) legimus finito bello sociali (a. 217) Athenienses Euryclida et Micione rem publicam administrantibus, qui iam anno 229 de patria bene meriti erant, (vide supra pg. 13), Ptolemaeum Philopatora innumerabilibus honoribus onerasse (*εἰς πάντας τοὺς βασιλεῖς ἐξεκέχυντο, καὶ μάλιστα τούτων εἰς Πτολεμαῖον*), in quibus creationem novae tribus, i. e. receptionem Ptolemaei in eponymos fuisse valde probabile est. Itaque tribus Ptolemais circa a. 217/6 instituta videtur, et cum tit. C. J. A. IV 2, 385c (decretum alterum), qui referendus est inter Heliodorum archontem et annum 213, in praescriptis praebeat: *ἐπὶ Ἀρχελάου· Ἀνθεστηριῶνος ἐμβολίμου·* hanc geminationem mensis Anthesterionis cohaerere cum nova tribu coniici licet (cfr. C. J. A. II 431 quarta prytania incidit in mensem Boedromiona).

Quae si recte se habent, catalogus archontum illius aetatis ita componendus est:

Chaerephon ante a. 217, Heliodorus a. 217/6, Archelaus 216/5, Diocles a. ? , Aeschron[3]) a. 210/9, Phanarchides a. 206/5 (?),[4])

---

[1]) B. C. H. 1891, pg. 357 ss. Niese II 450.

[2]) V 106, 6 ss.

[3]) Pauly-Wissowa s. v. Aischron.

[4]) Quibusnam annis archontum series tituli C. J. A. II 859 adscribenda sit, nondum mihi constare videtur. Schebelew quidem eos ita disponit: Diomedon 230/29, Heliodorus 229/8, Leochares 228/7, Theophilos 227/6, Ergochares 226/5, Niketes 225/4, Antiphilus 224/3, Kall .... 223/2, Menekrates 222/1, Chaerephon 221/0, Sosigenes (?) 220/19, Archelaos (?) 219/8, Philinus (?) 218/7, Diocles 217/6, Euphiletus 216/5, Heraclitus 215/4, Thrasyphon 214/3, Aischron 213/2; contra Schöffer totam seriem quattuor annis removendam esse censet. cfr. etiam B. C. H. XII 69 ss. ubi Schtschoukareff haec: Chaerephon aut 218 aut 217, aut 214 aut 213; Diocles aut 214 aut 213, aut 210 aut 209; Aischron aut 210 aut 209, aut 206 aut 205, et ab anno 225 ad a. 210 vel 224 ad 209 aut 221 ad 206 vel 220 ad 205 sic archontes sibi successisse sumit: Leochares, Theophilos, Ergochares, Niketes, Antiphilus, Kall..., Menecrates, Chaerephon, [Heliodorus, Archelaus, Glaukippu]s Erchieus, Diocles, Euphiletus, Heraclitus, Thrasyphon, Aischron.

et in C. J. A. II parte 1 haec mutanda sunt:

In praescriptis titulorum C. J. A. II 381 et 403 nec error inest nec tempora valde disturbata erant, sed tertiam prytaniam incidisse in mensem Metageitnionem et sextam in Maimacterionem e numero tredecim tribuum explicatur; qua ex re efficitur archontes Ergocharem et Thrasyphonta pertinere inter annos 216 et 200, et C. J. A. II 381, 11 Ptolemaeum Philopatora non Euergetem intellegendum esse.

Eodem modo difficultas, quam exstare in ratione temporis tituli C. J. A. II 334 Köhler dicit, tollitur, si Diomedonta archonta in tempora tredecim tribuum removes; tum mirum non est Demetriadis (sic lacuna vs. 3 supplenda est, nam Antigonis sextam prytaniam habuerat, cfr. C. J. A. II 836) decimam prytaniam incidisse in mensem Elapheboliona.

EXCURSUS II.

De Ptolemaeis.

Athenienses sollemnia in honorem Ptolemaei IV Philopatoris, quae Ptolemaea vocabantur, eodem tempore atque novam tribum instituisse verisimile est. Iam quo anni tempore celebrata sint, nusquam traditur, et quae Köhler ad C. J. A. II 465 de hac re suspicatus est, scilicet Ptolemaea facta esse intra spatium trimestre a nono die mensis Boedromionis ad nonum diem mensis Posideonis non probo, nam sollemnia, quibus coronae epheborum renuntiabantur, non secundum temporis rationem recensa esse vides e titulo C. J. A. II 467, ubi decretum factum est nono die Boedromionis, et cum Eleusinia a sexto decimo ad vicesimum quintum Boedromionis celebrata esse constet, tum Eleusinia sane primo loco fuerant recensenda, et e titulo C. J. A. II 341, ubi hunc ordinem habes: Dionysia in urbe (mense Elaphebolione) Eleusinia (mense Boedromione) Panathenaea (mense Hecatombaeone), et Ptolemaea. Ita vero quaestio, quam Köhler ad C. J. A. II 465 attigit, restat, cur illo loco Ptolemaea omissa

sint; quae res fortasse ita explicanda est, ut sumamus post Sarapionem archontem (a. 108) demum usu receptum esse, ut et epheborum coronae Ptolemaeis renuntiarentur, singulorum virorum coronis iam ante id tempus his quoque sollemnibus renuntiatis (vide: anno 190/89: C. J. A. IV 2, 417 b; a. 164/3: C. J. A. II 444; a. 161/0: II 445; a. 155/4: II 446; II. saeculo: II 451).

Hoc loco liceat nonnulla ad tit. C. J. A. II 341 afferri: Köhler vs. 10 Ptolemaeis signum interrogationis apposuit, et recte quidem, nam si Kumanudes, qui e nomine paedotribae titulum ad tempora post Ol. 124 (a. 284/3) refert, recte iudicavisset, Ptolemaea, quae circa a. 217/6 demum instituta esse vidimus (vide Excursum I) hoc loco stare non possent. Iam Köhler ipse sibi titulum recentiorem belli Chremonidei temporibus esse videri profitetur, et ego huic viro doctissimo assentior, nam hoc titulo praecipitur, ut coronae ephebis a populo decretae nonnullis diebus festis renuntientur, quod titulis II 316 (anno 281/0), II 338 (a. 273/2 ?), II 339 (anno ? hi duo tituli usque ad tempora belli socialis removeri possunt) nondum invenitur, deinde vs. 22 restitutio nominis *Ἑρμοδώρου Ἑορτίου* haud ita certa videtur; postremo vs. 10 quomodo aliter suppleri possit atque fecerunt Kumanudes et Köhler non video. Quibus de causis vs. 10 Ptolemaea recte se habere puto, et hunc titulum post annum 216 inserendum, fortasse si recta sunt, quae ad titulum C. J. A. II 465 de Ptolemaeis omissis supra protuli, ultra annum 108 removendum esse.



INDICES.

A) Nomina virorum.

B) Nomina regionum, civitatum, locorum cum ethnicis.

C) Dei, deae, heroes, templa, res sacrae.

D) Feriae et agonistica.

E) Magistratus et curatores.

F) Res et instituta publica. Notabilia varia.

G) Conspectus magistratuum Salaminiorum, qui inveniuntur.

a) Archontes:

Φιλόμηλος, initio saeculi quarti.
Τιμόθεος Ἀλωπεκῆθεν . . . . . anno 328/7
Ἀνδρόνικος . . . . anno 127/6
Πυθέας . . . . a. 94

b) Quaestor:

Φιλοκλῆς Πειραιεύς . . . . a. 127/6

c) Gymnasiarchus:

Θεόδοτος Εὐστρόφου Πειραιεύς . . . . . a. 128/7

a. 108 electi sunt *εἰς κατασκευὴν τῶν ἱερῶν καὶ τῆς ἐξέδρας: Θεόδοτος Πειραιεύς, Αἴσχρων Αἰξωνεύς, Χαρικλῆς Λευκονοεύς.*



